

ANASTASII

GERMONII

EX CEVAE MARCHIONIBVS,

I. C.

Archiepiscopi, & Comitis Tarantasiensis,

Et Serenissimi CAROLI EMMANVELIS Allobro-
gum Ducis Max. & Italiae Subalpinae Principis
inuietissimi apud Catholicam Maiestatem

LEGATI.

De Legatis Principum, & Populorum

LIBRI TRES.



ROMAE.

Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. MDCXXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISSIMO SUMMOQUE
PONTIFICI
VRBANO OCTAVO.

Anastafius Archiepiscopus Tarantafensis. F. P.



VAM præclarum fit Le-
gati officium, quàmq.
Principibus, ac reipu-
blicæ necessarium (VR-
BANE PONTIFEX OPT.
MAX.) tum eius per om-
nium ætatum curricu-
la continuus vsus, tum
apud omnes gentes magna exiltimatio facile
testantur; & constantissima indicant exem-
pla. Siquidem vox, ac lingua Principis est Le-
gatus, cuius industria bonum publicum pro-
mouetur, pericula auertuntur, populorum
quies confirmatur. Principum amicitias fo-
uet Legatus, ac nutrit, sempiternas quoque
haud rarò facit, discordes animos mouet, fle-
ctit, conciliat. Arcanorum Principum cù-
stos est Legatus, consiliorum particeps, ali-
quando etiam artifex, ac dux: bella sedat, pa-

I
ANASTASII
GERMONII

Ex Ceuæ Marchionibus, I. C.
Archiepiscopi, & Comi-
tis Tarantasiensis

DE LEGATIS PRINCIPVM,
& Populorum

LIBRI TRES.

Summa ex Procemio.

- 1 *Martinus Laudensis de Legatis scripsit, sed admodum ieiunè.*
- 2 *Carolus Paschalius de Legato eruditè scripsit.*
- 3 *Carolus Paschalius doctus & prudens scriptor.*
- 4 *Germonius auctor criticorum opinioni de Caroli Paschaliij stylo male sentientium, nequaquam subscribit.*
- 5 *Germonius auctor, quæ in suo de Legatis libro præstiturus sit, breuiter enunciat.*
- 6 *Germonius auctor pluries legatione defunctus, ex obseruatis librum hunc de Legatis concinnauit.*
- 7 *Utilitas operis plurima.*
- 8 *Germonius auctor in hoc suo libro, ut Iurisconsultus, disputare intendit.*
- 9 *Talionis pæna ex reciproco æquitatis contemptu originem sumpsit.*